

Utrum in nive aliquis color, & privatim
quidem Albedo sit? Nos, cum in utramque partem
rem expendimus, & cogitamus, liberè philosophandum
esse, iis subscribimus, qui colorem & albedinem nivi de-
negant. Prostant enim hujus rei rationes gravissimæ, par-
tim quia in nive nullum (vel exiguum) sulphur est, à quo
verò omnis color oritur: partim quia ex aqua nix oritur,
& in eam mutatur; aquam autem coloratam esse, nemo
dixerit: partim denique, quia nix in aquam resoluta
nullum obtinet colorem; ubi igitur manet color, si antea
eum habuit? Deinde quæstio oritur: **Quomodo**
Nix, in se frigida, hyemali tempore segetes
fovere possit, & efficere, ne à frigore læ-
dantur? Ad hoc respondemus, facere id Nivem, non
communicando caliditatem frugibus, quam nullam ha-
bet, sed tum reprimendò calorem internum terræ, ne egre-
diatur, tum arcendo externum frigus, ne invadat fruges,
iisque noceat.

§. IX.

*Pruina est Meteorum Aquæum, ex efflu-
vio crassiusculo, ferme in modum nivis à fri-
gore vehementiori condensato, genitum.*
Scilicet quando noctu vapores ex terra ascendunt, estq; in
aëre frigus vehementius, tunc hoc illos densat, & canitie
quasi exornat, ut instar flocculorum nivis, vel veriùs instar
granorum salis terræ, & iis, quæ ex terra pronascuntur, ad-
hærere videantur. Cæterùm hoc mirum videtur, quòd
Pruina